

Discursus medicinalis, de febre pestilentiali, quae superioribus annis universam ferme Germaniam pervagata est. In quo ... demonstratur, sanguinis missionem pro curatione febrium pestilentialium perniciosam esse / [Johannes Matthaeus].

Contributors

Matthaeus, Johannes, 1563-1621.

Publication/Creation

Francofurti : Ex Officina Zachario Paltheniana, 1603.

Persistent URL

<https://wellcomecollection.org/works/gwe6y9bv>

License and attribution

This work has been identified as being free of known restrictions under copyright law, including all related and neighbouring rights and is being made available under the Creative Commons, Public Domain Mark.

You can copy, modify, distribute and perform the work, even for commercial purposes, without asking permission.



Wellcome Collection
183 Euston Road
London NW1 2BE UK
T +44 (0)20 7611 8722
E library@wellcomecollection.org
<https://wellcomecollection.org>



MATTHEO
CONSTIT
MEDICIN

QUESTI
MEDICA







Mihi Res, non Me Rebus.



Bibliotheca

*M. Hyacinthi Theodori Baron,
Antiqui Facultatis Medicinæ
Parisiensis Decani, nec non
Castrorum Regis et Exercituum
Proto medici.*



4126/A

4125


4124

A xxx. Mar

Hodgson Jan 26/28
Lot 219 = 201

Trois traités du même auteur
dans ce volume.

Le Second traité Quaestionum
Medicorum enodatio, acte simplifié
beaucoup plus ample, puis qu'il
contient Cent Quaestions: mais
on a omis dans la Seconde édition
les observations de médecine qui se
trouvent icy a la fin du traité;
ainsi il est nécessaire d'avoir les
deux Editions.



4124/
DISCVRSVS MEDI-
CINALIS,
DE

(3)

FEBRE PE-
STILENTIA-
LI, QVÆ SVPERIORIBVS
ANNIS VNIVERSAM FER-
me Germaniam perua-
gata est.

*In quo rationibus & experientia demonstra-
tur, sanguinis missionem pro curatione fe-
brium pestilentialium perniciosam esse.*

Auctore


Ioanne Matthæo, Hefso, Medico Badensi.



FRANCOFVRTI

Ex Officina Zachario-Paltheniana.

M. DC. III.





ANTIQUAE
NOBILITATIS VIRO

STRENO ET AMPLISSIMO
Domino Wolffgango Theodorico a
Morlen cognomento Behm, Electo-
ralis Palatinatus consiliario & Burg-
graui Starckenburgico, domino
& patrono suo colen-
dissimo.



VENIAM AD MODUM in ex-
pugnandis munitionibus, &
inuadendo hoste maior cala-
mitas incidere non potest, quam
si belli duces de modo & processu pugnandi
inuicem dissentiant: Sic in medicina maior
calamitas excogitari nequit, quam si medi-
ci de remediis, quibus morbus acerrimus
humani generis hostis profligandus est, dis-
sentiant & contendunt. Dum enim quisque
utrobique suum institutum urget, pulcher-
rimae rerum gerendarum occasiones dila-
tantur. Huius rei, ut de alienis non dicam,
in medicina nostra, varia habemus exem-
pla. Magna siquidem concertatione & peri-

PRÆFATIO.

culose adhuc disceptatur, an in pleuritide
 vena lateris affecti, vel non affecti sit se-
 canda. An in Dysenteria præmissis præ-
 mittendis, ad vere adstringentia deueni-
 reliteat? An pro febris pestilentis curatio-
 ne vena sit incidenda? &c. Dum igitur a-
 lii in sectione vena, alii in usu alexiphar-
 macorum potissimam salutis spem collocat,
 infiniti agri exspirant, ut certum sit ex con-
 tentiosis istis & curiosis disputationibus
 pro luce densissimas tenebras oculis offun-
 di. Quapropter cum ante annos aliquot,
 febris pestilens vniuersam fere Germaniam
 infestaret, idemque contagium Alzeanos,
 apud quos tum temporis medicinam facie-
 bam, corripere, mearum partium esse exi-
 stimabam, breuem & succinctum modum
 præseruandi curandique luem istâ grassan-
 tem, populari idiomate conscribere, ut
 constaret quid in pharmacopolio isto, pro
 cuiusque ætatis & conditionis hominibus
 integra fide præparatum exstaret. Verum
 cum hoc meum consilium in quorundam
 curiosorum hominum manus, nescio quo
 fato, incidisset, quedam in parte diæteri-
 ca & chirurgica desiderarunt. Non potui
 igitur non facere, hortatibus, præsertim &
 insti-

PRÆFATIO.

instigantibus nonnullis amicis, quin pluribus argumentis, quid in utraque parie statuendum esset, demonstrarem & a quibus censoribus publice subiicerem. Adieci etiam refutationem quorundam argumentorum cuiusdam Chymici, Gramanni, quæ nuper ad manus meas peruenerunt, in summum antiquissimæ medicinae contemptum, quamuis nec tempestive, nec apposite, sed omnino imprudenter conscripta. Chymica sane remedia, si recte parentur, nec indocte, quod tamen plerunque fieri solet, usurpentur, minime improbantur, sed suam merentur laudem. Qui vero Chymicus sua consistere non posse credit, nisi Galenica quouis modo suggillantur, cum toto cælo errare putarim.

Hunc vero tractatum, Strenue ac Nobilissime Domine, ut tandem gratitudinis meæ pro tot tantisque molestiis, tibi grauissimis totius Electoralis Palatinatus negotiis occupatissimo, factis, testimonium aliquod exstaret, consecrare & inscribere volui. Quamuis autem exile hoc sit opusculum, delicatis & eruditissimis tuis auribus indignum, scio tamen me summum patronum & defensorem contra curiosorum ho-

PRÆFATIO.

*minum cauillationes inuenisse. Tuam ergo
Str. maiorem in modum rogo, ut exiguum
hunc laborem benigne suscipere & defende-
re, meque sibi magis magisque commenda-
tum habere dignetur. Badena 10. August.
Anno 1602.*

T. Str.

Observantiss.

Ioannes Matthæus Hef-
sus, Medicus March.
Badensis.

DE

DE FEBRE VE- RE PESTILEN-

TIALI.

ETSI Pectis, febris vere pestilentialis, & febris simpliciter pestilens & maligna inter se differunt; recte tamen Gal. 1. Methodi cap. 5. & 7. monet, de nominibus non contēdendum, sed res ipsas diligenter accurateq; inuestigandas esse. Licet igitur vulgus febrem vere pestilentem, populariter Anno 1596. & sequentibus, per vniuersam fere Germaniam grassantē improprie pestem appellet: de nominibus tamen non contendere, sed morbi naturam & causam, nec non præseruandi, curandi; rationem inuestigare placuit.

Definitio.

FEbris vere pestilēs, quæ Anno nonagesimosexto, septimo & octauo supra sesquimillesimū a Christo Salvatore nostro nato per Germaniam grassata est, aliter definiri nequit, quā intemperies cordis calida & maligna, ab inexplicabili internæ putredinis

modo generata, totiq; corpori communicata, cum sæuissimis accidentibus (: vt ex Rufio Oribasius notat :) plurimos perimens.

Causa.

Cornelius Celsus omniū morborum causas ad iram Deorum refert. Nos primam & potissimam morborum omnium causam in peccata nostra & contemptum diuini verbi Theologice conferimus.

Naturales vero huius febris vere pestilentialis causas inuestigando, cū primis obseruandum, quod Galenus præfatione com. i. Epit. docet, communissimi scil. morbi, non nisi cōmunissimam causam esse. Cōmunissime porro causæ sunt aer, cibus & potus. Aer vel mediate, vel immediate, naturalis huius pestis causa esse potest. Immediate, quando ipsa aeris substantia intra se venenum contrahit, & proinde corpora nostra in eandē perniciem præcipitat, qualis fuit illa aeris constitutio, quæ tempore Thucydidis famosam illā pestem in Græcia excitauit. Mediate, aer pestis causa esse potest,

potest, quando venenū non primario in ipso aere cōtinetur, sed ab inferiorib. exhalationib⁹, terre motu vel corporibus prælio occisis & computrescentibus aliisque caussis inquinatur. Huiusmodi pestis exempla describit T. Liu. lib. i. Decad. i. & alibi passim. Mediate deniq; aer pestis causas esse potest, non quod ab inferioribus corporibus vel exhalationibus venenatis sit infectus, sed potius quando enormi quatuor primarum qualitatū excessu corpora nostra ad malignam & venenatam putredinē suscipiendam apta & idonea reddit. Huiusmodi pestis exempla describit Hippoc. lib. 3. Epidem. Sect. 3. Annus, inquit, austri-
nus, pluuiosus, sine ventis, per totum: Autumnus ymbrosus, nubilosus, aquarum multitudines: Hyems austri-
na, humida, mollis, &c. quibus verbis pestilentem aeris cōditionē ex enormi humiditate aeris describūt, quemadmodum ex historia agrorum, quos ordine subiicit, facile apparet. Similem aeris statum idem Hippoc. describit lib. 2. Epid. sect. i. Carbunculi, inquit in Cranone, æstiuī, pluebat

in vstionibus pluuiæ largæ. Huc etiam spectat, quod Suetonius in vita Mauricii Rom. Imperatoris refert, annum scilicet pluuiosum & austrinum inundationes attulisse, quales hominum memoria vix visæ fuissent: Secuta, inquit Suetonius, vt perpetuo consequi consuevit, pestis in Italia, sæuior Romæ quam aliis in locis. Deinde alia subsecuta est sub eodem Imperatore inundatio fluuiorum, in Italia, Hispania, Germania, moxque pestis hominum & pecudum maior illa priore, incidit. Simile legitur in historia Frederici II. Rom. Imperatoris, Anno nimirum MCC. XXVII. quâdo ob continuas pluuias Tyberis ita excreuit, vt non solum plurima damna mortalibus afferret, sed pestem etiam excitarer, qua vix decimus quisque euasit. Sic cibus corruptus communis causa pestis esse potest, quod obseruauit Iulius Cæsar, lib. 2. de bello ciuili, quâdo Massilienses diuturna obsidione cincti, & ad summam rei frumentariæ penuriam adducti corrupto cibo utebantur, & in grauissimam pestem
incide-

incidebāt. Plutarchus etiā in vita Antonii clarissimus auctor est magnā exercitus partē esu cuiusdā herbæ incognitæ interisse. Simili ratione cōmunis potus si vitiatu aut corruptus fuerit, generalē pestem accerere potest, vt non immerito Athenienses, vt refert Aretæus lib. i. ca. 7. in magna illa pestilentia suspicati fuerint Peloponenses venena cōiecisse in Pyræi puteos. Sic exercitus Antonii in bello Parthico bibendo venenosas paludes malignis febr. conflictatus est. Cum aut hęc febris pestilens, nec aeri immediate venenato, nec mediate infecto, multo minus cibis potibusq; corruptis adscribi vel imputari possit, reliquū est, vt causā huius pestis in enormē & excessiuā aeris intēperiem cōferamus. Et sane, si omīssa omni plixitate consideremus tēpestatē aeris ab Hipp. & Suetonio descriptā, facile illam cū Anno 1595. comparabimus, cōstat enim omnib. hyemē crebris & diuturnis pluuiis valde molestā fuisse, cui successit tempus vernale plus iuste calidū. Æstas etiā variis pluuiarū tē-

pestatibus inconstantissima fuit: denique hyems humiditate & mollitie magnopere excessit. Diuturnam hanc aeris intemperiem magno suo malo cum primis senserunt podagrici, quorum non pauci & longiores & vehementiores sustinuerunt paroxysmos: acerbos quoque dolores in naribus auriumque pinnis perceperunt. Animaduersum etiam fuit, eandem aeris intemperiem frequentes epilepsias, inauditas conuulsiones & paralyses, colicorumque dolores peperisse. Denique hortulani, agricolæ & vinitores insignem totius anni humiditatem, non sine magno rei domesticæ dispendio, experti sunt. Quapropter mirum non est, quod tantam tamque diuturnam intemperiem humidam pestilens febris ex humoribus maligne putrescentibus excepit. Galenus enim lib. 1. de Temperam. c. 4. inquit, Annum plus iusto humidum, pestem prædicere. Aristoteles etiam 4. Meteor. nimiam humiditatem putredinis matrem appellabat. Quinimo Gale. lib. 1. de differ. febr. c. 4. memoriæ prodidit, se simi-

de. se similem aeris intemperiem humi-
 litie dam obseruasse, qualem Hippocr. de-
 hanc scripsit, & ad præseruationem ventu-
 ræ pestis tempestiue corpora exsic-
 nalo cando pestem auertisse. Ceterum pu-
 tro- tredo huius febris vere pestilentialis
 che- differt a putredine aliarum febrium
 nos- putridarum, excellenti & inexplica-
 sau- bili putredinis gradu, qui a malignita-
 rad- te seu veneni natura, teste Galeno
 em- comment. 3 in Epidem. Hippoc. tex.
 udi- 50. nihil differt. Sunt tamen ex recen-
 col- tioribus nonnulli, qui febrem pesti-
 nor- lentialem, non per grauem & excel-
 infi- lentem putredinem, sed potius per
 not- occultum venenum definiendam ef-
 dio- se censent, quasi verus character o-
 not- mnium febrium pestilentialiū non sit
 nam- excellens & inexplicabilis putredi-
 s fe- nis gradus, sed venenum. Verum si per
 tres- venenum, inexplicabilem putredinis
 ib. gradum intelligunt, nihil absurdi sta-
 num- tuunt, quemadmodum Galenus alii-
 lice- que veteres Medici extremū omni-
 im- um qualitatum gradum pro veneno,
 rem- quandoq; sumserunt. Exempli gra-
 i. de- tia: Quando opium non proprie, sed
 im-

per excellentem frigiditatis gradum
venenum dicitur. Idem de cicuta ali-
isque vel extreme calidis vel frigidis
iudicium. Si vero per venenū aliquid
ab excellenti & inexplicabili putredi-
nis gradu diuersum fabricare conan-
tur, contra Galenum ipsamq; rei na-
turam peccāt. Quapropter vt seriem
causarum breuiter contraham, ex-
terna huius febris pestilentialis causa
fuit diuturna aeris humiditas, q̄ cor-
pora ad suscipiendam malignam pu-
tredinē disposuit; interna vero causa
est illa ipsa maligna putredo, quæ ve-
neni naturam imitatur, & multipli-
ci perseveranteq; agrorum exhalati-
one aerem inferiorem, præsertim in
locis per se impuris & conclusis, con-
taminare aliosque contagio inficere
potest.

Quæstio. Cū vero dictū sit, corpora
nostra ex diuturna aeris intēperie, ad
febrem hāc pestilentialē iam pridem
disposita esse, nō immerito quæritur,
An febris hæc sit contagiosa, & pro-
inde an fuga euitari possit? Primū e-
quidē magno cum dolore experti fu-
mus,

mus, omnia ferme Alzeanæ ditionis oppida, nulla alia ratione, quam solo contagio infecta esse, ita ut vel agnati, vel profugi, vel heredes peste defunctorum longe lateque febrem hanc pestilentialem disseminauerint, & ut alia exempla omittam, Alzeanæ calamitatis originem paucis referam, quæ ex mera incuria adeo inualuit, ut vno atque altero mense omnes urbis vicinos apprehenderit, pueros & senes, diuites & pauperes prostrauerit. Mense augusto anni nonagesimi sexti, supra sesquimillesimum, bibliopola ex loco infecto ad Alzeanum bibliopolam confugiens, paucis diebus post moritur: interiectis aliquot diebus 7. vel 8. bibliopolæ liberi ordine moriuntur. Ipsa etiam mater partui iam vicina pesteque correpta, cum pariendi quosdam dolores sentiret, aliquot mulierculas conuocauit, ut paruerenti adessent, sed cum partu mater exspirauit. Hanc paulo post non solum ipse maritus, sed etiam obetricis filia & omnes quotquot decumbentibus ministrarunt, in-

fortunii istius participes facti, occu-
buerunt. Cumque multorum temeri-
tas nullo magistratus edicto inhiberi
posset, quin sani cum ægris, & ægri vix
restituti, cū sanis permisti indifferen-
ter discurrerent, factum est, vt exiguo
temporis spatio nullus vicus a conta-
gio immunis superfuerit. Hinc mani-
feste apparet, quid ad alteram partem
sit respondendum, hanc nimirum fe-
brem omnino cōtagiosam esse, & per
consequens fuga deuitari posse. Neq;
obstat communissima ad pestem dis-
positio, cuius gratia vere quidam di-
xisse videbatur: Quocunq; fugimus,
pestem in tergo nobiscum circumfe-
rimus: Quapropter sic respōdeo: Et
si corpora cōmuniter ad pestem sunt
disposita, non tamē omnia simili mo-
do sunt disposita: temperamēta enim
ficciora minus disposita sunt, quā hu-
midiora. Deinde licet communis ae-
ris intemperies aptitudinem ad mali-
gnam febrem suscipiendam impres-
serit, necessarium tamē non est, solam
aptitudinem seu dispositionem suffi-
cere, vt pestis ineuitabili modo se-
quatur.

quatur. Exempli gratia : Qui catar-
rhosus est , ille ad Epilepsiam , Apo-
plexiam , paralyfin vel podagram dis-
positus est , necessarium tamen non
est , talem effectum subsequi : potest
enim natura , quod superfluum est , vel
superare vel per conuenientiora loca
expellere. Sic quando videmus solem
æstiuo tempore aquosos vapores sur-
sum attrahere , recte dicimus aerem
ad pluuias dispositum esse , nec tamen
necessarium est , illas subsequi : potest
enim materia attracta consumi vel
dissipari. Simili ratione , licet corpora
nostra ratione aeris excessiue humidi
plus iusto humectata sint : venenum
tamen nondum conceperunt , nisi per
contagium magis inficiantur. Qua-
propter , cum a posse ad esse non vale-
t consequentia , per tempestiuam fu-
gam contagium deuitari poterit , ac
roinde recte faciunt , qui conuersa-
tionem cum infectis , quantum Chri-
iana charitas permittit , diligēter vi-
tānt , alioque secedunt. Cum autem
non omnibus vel officii vel aliarum
necessitatum causa fugere locumque

mutare liceat, optima præseruandi ratione constanter vtendum erit, ne temere & incaute propriam vitam videamur neglexisse, vel Deum omnium Medicinarum auctorem tentasse nimis sero cum periculo vitæ nostræ conqueramur.

Præseruatio.

MOdum præseruandi tutandique corpora a febre pestilentiali breuiter perstringit Gal. loco cit. de differ. febr. c. 4. Vidi, inquit, talem temporis statum, qualem Hippoc descripsit, vnde statim ab initio, corpora quæcunque humidiora erant, omni via exsiccare conabamur; quæ sicca erant, in iis pristinum statum conseruabamus, superfluitates redundantes iustis purgationib. tollebamus, foraminum obstructiones aperiebam⁹, &c. Huic scopo generaliter a Gal. proposito satis fieri potest, partim recta administratione rerum non naturalium, partim etiam vsu medicamentorum præseruantium. Res non naturales sunt Aer, Cibus & Potus, Motus & Quies, Somnus & Vigilia: Repletio & Inani-

ratio; animique Affectus, de quibus ordine dicendum.

Aer.

A Erem quod attinet, ex ante dictis apparet aerē purū & ficcum saluberrimum esse: sin a natura talis non sit, omni diligentia enitendum, ut artificio purificetur & exsiccetur. Laudabile igitur fuit magistratus edictum, non solum de mutandis urbibus priuatisque ædibus, sed etiam bestiis inutilibus abigendis, reliquarumque bestiarum, cum primis vero porcorum, anserum & gallinarum fimo, aliisque excrementis diligenter exportandis. Nec impium aut inhumanum est, quando temerariæ & non necessariæ conuersationes cū infectis prohibentur. Quin imo ex sacris docemur literis, morbis contagiosis infectos a reliquo populo per legem diuinā remotos fuisse. Ideoq; cōsultum esset certos certo p̄tio constituere homines, q̄ infectis ministrent, eorumq; viam pariter & diligentem rationem habeant. Optandū etiam, ut defuncti

per homines ad id officii destinatos
efferrentur, tribubus etiam lex effe-
rendi comitandiq; eos hoc tempore
relaxaretur. Diligens quin etiam ani-
maduersio habenda, vt sepulcra iu-
stam acquirant profunditatem, nec,
quod interdum magna incuria fieri
consuevit, vnum funus supra alterum,
sed potius secundum latitudinem v-
num iuxta alterum collocetur: alio-
qui si superficietenus defuncti sepeli-
antur, metuendum, ne putrida & ma-
ligna sepulcrorum exhalatio nouis
morbis aliquando occasionem præ-
beat, quod sub Mauritio Rom. Imper.
accidisse Suetonius refert. Christiana
etiam caritas requireret, vt ædes in-
fectorum, maxime vero publica hos-
pitia, peculiari aliquo signo notaren-
tur, ne insciis hominibus terror aut
gravius periculum crearetur. Postre-
mo Chirurgis & tonsoribus mandan-
dum, ne ad fanos pro incidenda vena
vel scarificanda cute vocati, instru-
mentis illis vtantur, quibus apud in-
fectos vsi fuerunt. Deinde, ne puru-
lenta emplastra per ædes ægrorū hinc
inde

inde disiciant, sed extra urbem deferant: relictis enim emplastris, certum pestis seminarium relinquitur & conseruatur. His per Magistratum recte constitutis, quilibet pro se, quantum fieri potest, aeris temperiem corrigat, & ad iustam siccitatem puritatemque perducatur. In hunc usum probantur lucidissimi ignes seu flammæ ex aridis lignis iuniperinis & similibus institutæ, quæ omnem aeris impuritatem exsiccent & consumant. Suffitus etiam ex baccis iuniperinis, foliis saluie, ex absinthio, roremarino, &c. parari debent, qui non solum exsiccandi, sed veneno etiam resistendi vim & facultatem habent. Ad hanc eandem intentionem habentur in pharmacopoliis trochisci pro fumo, quibus ditiores in cubiculis & hypocaustis uti possunt: in area vero domus excitentur suffitus ex lignis, baccis & virgulis iuniperinis, ita ut fumus per vniuersam domum ascendere & libere permeare possit. Fenestræ diligenter occludantur, præsertim tempore nocturno, interdiu tamen cælo sereno ex-

sistente, illæ aperiri debent, quæ Septentrionem respiciunt, deinde quæ Orientem. Ieiuno corpore nunquam in forum publicum, templum, curiam, aliosque populi conuentus prodeundum: semper etiam ex antidotis infra positis aliquid ore sumendum & masticandū, ad corrigendum aerem, & communem multorum hominum halitum. Quando ex officio ægri visitandi sunt, eadem regula obseruetur. Vestimēta etiam absinthii suffitu suffumigentur: manibus quoque gestanda spongia, aceto rosaceo madefacta, in quo aceto baccae iuniperinæ, lauri, ruta, cortices arantiorū, & similia macerata sint: hac spongia nō solum nares, sed tempora etiam & pulsus frequenter humectentur.

Cibus & potus.

Ciborum ea ratio esse debet, quæ corpus plus iusto humidum ad sicciorem naturam deducat. Abstinentiū igitur a crebris iusculis, vel parce, iisque aceto odorifero præparatis vitandum. Piscium genera, eo quod nimium humectēt, vitari debent. Quicunque

cunq; tamen pisces debito tempore
conuenientiq; modo sale cōditi sunt,
nec vlla corruptionis suspicio subest,
non possunt omnino improbari, præ-
sertim si sit moderatus illorum vsus.
Omnia enim, quæ sale condita sunt,
corpora exsiccant & putredini resi-
stunt. Hinc obseruare licet, eos qui ci-
bis paulo largius sale cōditis vesci con-
sueuerunt, rarissime febribus putridis
tentari. Ex carnum numero merito
improbantur porcina, ouina, anseri-
na & similes, quæ multū excrementi-
tii humoris generāt. Leporina aliaq;
ferina carnes moderate vsurpari pos-
sunt. Ex volatiliū genere probantur
turdi, turdele, galli gallinacei, & simi-
les. Carnes etiā assæ elixis præferūtur:
elixæ vero modico aceti præparētur:
assanda corticibus arātorū, foliis sal-
uiæ vel roris marini transfigantur, vel
cū baccis iuniperinis infarciātur. Lac,
cū facile corrumpatur & putrescat, vi-
tādū erit, quēadmodū etiā abstinēdū
ab omnib; aliis cibis, qui cum lacte pa-
rantur. Butyrum vero in frequenti vsu
esse debet, eo quod venenis potenter
resistat. Caseus cum propter fæto-

rem, tum etiam propter obstructions, quas parit, vitandus. Omnis enim foetor, teste Auicenna, aptum est veneni & putredinis pabulum. Galenus etiam obstructions precauendas esse monuit. Ex fructibus conducunt pruna acida, cerasa acida, ribes, berberis, rubi, capperes, & amygdalæ amaræ. Profunt etiam allia, cæpæ, sinapi, raphanus marinus, quæ nō alimenti, sed condimenti loco vtiliter vsurpantur. Mira igitur quorundam curiositas, qui famosa hæc rusticorum antidota ignoranti populo suspecta reddunt, & prorsus vitanda esse consulunt: sed ex quo fundamento hoc ipsis liceat, ipsi viderint. Sate equidem scio, immodico & frequenti rerum acrium vsu sanguinem incallescere, multumque biliosi humoris generari, pestilētes vero febres inde oriri, firmiori probatione indiget. Nonnulli cum viderent, cæpas cum theriaca sub prunis assatas, & tumoribus pestilentialibus impositas, venena attrahere, suspicati sunt easdem cæpas intra corpus assumptas omnem externam malignitatem

tatem ad interna viscera pertrahere. Verum Gal. lib. 3. de Temperam. c. 3. hæc somnia satis refutat: non enim, quæ foris imposita, attrahunt vel exulcerant, illa etiam intus assumpta idem præstant: acrimonia siquidem, coctione & variis ventriculi humiditatibus permista, plurimum remittit: Vnde Matthiolus etiam ipsum cæparum succum expressum, peste laborantibus propinare minime veretur. Sic Roscellus præstans Medicus eundem succum ex cæpis pressum pro arcano pestis remedio exhibet, reliquam vero cæparum pulpam tumoribus pestiferis imponit. Accedit quod Sotion antiquus auctor memoriæ prodidit, cæparum usum firmam valetudinem conseruare. Nec Horatius alliorum usum suspectum reddere potest, quando inquit:

Parentis olim, si quis impia manu

Senile guttur fregerit.

Edat cicutis allium nocentius,

O dura messorum ilia

Quid hoc veneni sanit in præcordiis?

Apparet enim, Horatium Poeta-
rū more ludere, & illi esum, cui for-

te affuetus non fuit, iocose reprehendere. Cōstat alioqui, alii vsum contra venena in Vngaria & Italia, potissimū æstiuo tēpore, quādo messoribus & agricolis venenata reptilia nocere possunt, vñtatissimū esse: vnde Virgilius.

*Nunc virides etiā occultant spineta lacertas,
Thestylis & rapido, fessis messoribus æstu,
Allia serpyllumque herbas contundit olentes.*

Eiusdem conditionis sunt sinapi, raphanus marinus, & similia. Si enim naturam illorū perpendamus, omnia hæc superfluas corporis humiditates consumere & veneno potenter resistere valebunt. Hinc non sine graui causa sinapi in compositionem Electuarii, quod ouum aureum vocant, tanquam principalis pars ingreditur. Nec tamen immoderatum horum omnium vsum cuiquam consulere velim, sed quantum condimenti ratio permittit. Pro acetariis parandis æstiuo tempore conueniunt, acetosa herba, & radices cichorei. Hyberno tempore endiuiā, nasturtium aquaticum, cappares & genistæ flosculi arte conditi. Pro potu quotidiano eligatur vinum

num simplex, vel si generosum sit, aqua diluatur: hoc enim Celsus libr. i. cap. vltimo, diserte præcipit. Vulgus igitur pessima consuetudine pestis grassantis tēpore fortissimis vinis delectatur, nec exiguam præseruationis spem in vsu fortium vinorum collocat & potationibus indulget. Qui assueti sunt, commode vtuntur cereuisia probe excocta. Vina absinthiaca, saluiata, iuniperina, & quæ ex carduo benedicto, helenio, zedoaria, & similibus debito modo parantur, vtiliter quandoque bibuntur. Spiritus vini, seu vinum ardens nulla ratione conuenit, & præstaret publico magistratus edicto huius vini vsum interdicere. Perperam etiam faciunt, qui omnis generis medicamenta in spiritu vini extrahunt, vel in eo macerant. Est adhuc quoddam hominum genus, quod scarabeorum naturam imitatur, excrementisque delectatur, & vrinam propriam frequenter potandam præcipit. Scarabeis istis suus mos sinendus, videant autem, ne aliquādo fomité putredinis intus ge-

rentes, potu illo malum adaugeant: certum liquidem est, humoribus infectis, vrinam salubrem esse haud posse. Qui vero a Scarabeorū natura abhorrent, ij præstantiora remedia, ab altissimo nobis largiter concessa usurpare norunt.

Motus & quies.

Cornelius Celsus loco cit. tanti fecit motum seu exercitium corporis ad præseruationem pestis, vt etiam eos, qui incedere aut ambulare nequeunt, gestandos vel nauigio vehendos præceperit. Circa motū vero seu exercitium corporis, tria sunt cōsideranda, locus scilicet, vbi exercitium instituitur, tempus & modus. Locus exercitationis procul dubio ab omni fœtore & malignitate purus esse debet. Tēpus exercitationi aptum erit pomeridianum, quando aer radiis solaribus repurgatus est: aere vero nubiloso existente, domi manēdum erit. Modus ad duo respicit, ad formam exercitij, & terminū. Formam exercitij quod attinet, laudantur ab omnibus ambulationes, gestationes, vecta-

vectationes, equitationes. Terminus,
 ad quem exercitatio producenda, e-
 rit totius corporis moderata calefa-
 ctio citra omnem fatigationem, aut
 sudoris profusionē, teste Celso. Fuch-
 sius etiam vehementiora exercitia,
 quæ ad sudoris vsq; profusionem in-
 stituuntur, prolixè detestatur: vnde
 publicas choreas, & saltationes magi-
 stratus edicto prohibendas esse con-
 sultit. At vero crediderim, saluo Celsi
 & Fuchsi iudicio, puro existente æ-
 re, eoque a loco infecto remoto, ex-
 citationes corporis, vsque ad sudo-
 ris profusionem vtiliter institui posse.
 Hoc enim pacto meatus cutanei æ-
 quabiliter aperiuntur, superflua hu-
 miditas exhalat, & corpus rite exsic-
 catur. Danda vero opera, ne apertis
 adhuc meatibus cutaneis, aut sudore
 profluente, in urbem vel locum infe-
 ctum redeamus, sed deterso sudore
 paulisper quiescamus, donec vires in-
 tra corpus redeant, & meatus paula-
 tim moderateque occludantur. Quod
 autem Celsus hanc vehementiorem
 exercitationem prohibuit, causa est,

quia de peste proprie sic dicta loquitur, quæ ab infectione totius aeris dependet, adeo ut corpus sub aperto aere nusquam tuto exerceri possit. Cum vero talis aeris pernicies, grassante hac pestifera febre, non sit, nihil prohibet, corpora paulo fortius mouere. Fuchsius etiam non sine graui iudicio publicas saltationes improbat, utpote quæ in ipsis urbibus & cum personis vel infectis, vel nondum omnino restitutis sæpe instituuntur, adeo ut pestilens locorum & suspectarum personarum halitus, apertos & hiantes poros, anhelantiaque ora facile ingredi possit. Quapropter detestanda minimeque silentio prætereunda nostrorum puero-
rum cōsuetudo, qui per integros dies, per omnes urbis plateas rapido cursu feruntur, & si interim funera exportanda sunt, ipsi omnium primi sudore adhuc madentes accurrunt, funera sibi demonstranda petunt, deinde ad barathrum illa comitantur, ut mirum non sit, quod hæc iuuenilis ætas præ ceteris periclitetur. Accusandi vero parentes, qui talē iuuentuti licentiam
permit-

permittunt, quæ omni pericula plena esse videtur. Vnum adhuc ex Cornelio Celso obseruandum, qui diligenter monet, ne exercitia nudis pedibus instituantur: hinc enim caput catarrhis tentatur, cutisq; densata liberam perspirationē impedit. Quies immoderata, maxime vero turpe otium fugiendum: otio siquidem corpora torpescunt, omnisque generis superfluitates colliguntur, quod ex frequēti sputatione veteres agnoscebant, ideoque frequenter expuentes tanquam otio deditos puniebant.

Somnus & Vigilia.

Circa somnum & vigiliā illud Catonis obseruetur:

Plus vigila semper, nec somno deditus esto.

Somnus enim, quemadmodum & quies immodica corpus variis excrementis onerat: contra vigiliæ multas superfluitates consumunt, & vapores discutunt. Parce igitur somno indulgendum, & nō nisi nocturno tempore, quantum virium conseruatio requirit, dormiendum. Somnus diurnus, maxime qui statim post sumtum

cibum obrepit, diligenter fugiendus;
Hinc versus;

Sit brevis aut nullus tibi somnus meridianus.

Repletio & Inanitio.

Repletionem deuitandam & aufe-
rendam, adeoque inanitionem
repletioni præferendam esse, præter
Auicennam & Galenum Vindicia-
nus quoq; antiquus Medicus docuit,
qui in Epistola quadam ad Valenti-
nianum Imperatorem memorię pro-
dedit, Pestem ex sola crapula & reple-
tione sæpissime originē traxisse. Ce-
terum aufertur repletio potissimum
purgatione, sectione venæ, sudoris
profusione & vomitu. Cum igitur ex-
terna aeris humiditas corpora variis
superfluitatibus repleat, quæ non nisi
iustis purgationibus aufertur, Oriba-
sium imitari decet, qui lib. 7. cap. 23.
purgantia medicamenta tempestiue
vsurpata multos morbos auertere do-
cuit. Circa electionem purgantium
medicamentorum obseruandum, va-
lide purgantia ad præseruationem pe-
stis minime conuenire: internorum
enim viscerum virtutem, teste Gale-
no com-

no comment. 2. de vict. acut. tex. 12.
ita eneruant & dissoluunt, vt quam-
uis superfluitates liberius admittant.
Grauissime igitur errat, qui non nul-
lis vsum Turpeti pondere vnus vn-
ciæ cum beroarticis quibusdam in
spiritu vini extrahendis pro secreto
remedio vendidit. Sed quis asini-
nam hanc ruditatem non explodat,
cum nullus sit tam leuiter in Medici-
na versatus, qui ignoret, a strenue pur-
gantibus diligenter abstinendum esse?
Addo, quod sine vilo iudicio diuersis-
simarum operationum simplicia me-
dicamenta inuicem permista sunt,
dum scilicet alia per sudorem mo-
uent, alia interim per aluum fortiter
trahunt. Sed curiosi isti, quibus cele-
britas loci, in quo Medicinã faciunt,
pro ratione & iudicio sufficit, minime
illud Galeni legisse videntur, quando
nimirum in libro, Quos purg. oportet,
ea inuicem miscenda esse, præcipit,
quæ eandem & æqualem operatio-
nem moliuntur. Porro cum experia-
mur puerilem ætatem huic feбри pesti-
lentiali potissimum subiectam esse,

nullam (vt opinor) aliam ob causam, quam q̄ ratione ætatis & ingluuiei varias colligit suffuitates; ipsa ratio expostulat, vt hæc quoq; ætas cōuenientib. pharmacis semel atq; iterum pro cuiusque conditione perpurgetur. In hunc vsum Actuarius cōmendat medicamenta eccoprotica, quæ aluū leniēdo subducūt, vt sunt manua, syrup. rosatus solutiū, cassiæ medulla & similia. Corporib. ab omni colluue & immunditia repurgatis, de sanguinis missione cogitandū. Sanguis vero iis mittēdus, qui vel sanguine abundant, vel qui calidioris sunt nature, aut alioqui sanguinem mittere cōsueuerunt. Qui ob sanguinis copiam venę sectione indigent, his vena cubiti incidenda, vt plethora commode inaniri & auferri possit. Qui calidioris sunt nature, venam dextri cubiti, quā Hepaticam vocant, incidendam curabunt. Qui vero cōsuetudine sanguinē mittere cōsueuerūt, alternatim modo venā dextri, modo sinistri lateris aperire debent. Quibus hæmorrhoides vel menses vltra naturale & cōsuetū tempus suppressi sunt, vena malleoli inte-

rior incidēda. Pregnātes caute & prudēter agant, nec sine Medicorū speciali cōsilio sectionē venæ admittant. Ad tollendā repletionē pertinet etiā sudor, quo nō solū partes cutaneæ, sed sanguis etiā venarū, ab omni aquositate superflua repurgatur. Sudor variis modis elicitur, calore nimirū Laconici, balneis, calore lectulorū, ignitorū lapidū, arena marina calida, sole & exercitiis. Laconica apud veteres erant loca subterranea, in quibus corpora calido vapore naturali promte sudabāt; cuiusmodi Laconica in agro Putetano in Baiis, & tractu Patauino adhuc hodie habentur. Laconicorū vicē apud nos supplēt dolia vndiq; connecta, in quib. per vaporē aquarū bullientiū vel ignitorū lapidum sudor provocatur. Idē præstant balnea quorum vsus tam apud nos, quam apud veteres duplex est. Primus vt corpora in aquas dulces immersa foueantur. Alter vt sine aquis solo ignis calore sudor provocetur. Veteres etiā, vt Celsus & Oribasius referūt, post egressū ex balneis corpora vestimentis inuoluebāt, iterumq; sudorē provocabāt. Qua-

propter male faciunt nonnulli, qui
indifferenter balneorum vsum hisce
temporibus prohibent & suspectum
reddunt. Etsi enim publica balnea
propter multorum hominū conflu-
xum metu contagii suspecta sunt, qua
tamen in priuatis ædibus locisque pu-
ris instituuntur, improbari nec debent
nec possunt, ita tamen vt sine large a-
quarum affusione solo vapore sicce
sudor prouocetur. In balneis priua-
tim institutis consuetæ euacuationes
per scarificationem intermitteri non
debent, sed maiori diligentia conti-
nuari, quemadmodum nec vlla alia
consuetæ euacuatio negligenda vel
supprimenda: Vnum vero considera-
tione dignum hic offertur, An scilicet
cucurbitulæ tempore pestis ad scapu-
las poni debeant: Auicenna enim do-
cet, cucurbitulas scapulis impositas,
cordis tremorē inferre, addo, quod
frequenter istuc positæ, omnem su-
perfluitatem ad cordis regionem at-
trahunt. Quapropter melius fortassis
esset, cucurbitulas partibus inferiori-
bus imponere. Et quoq; apud nos v-
sitatum

fitatum, vt sudor tempore matutino in lectulis euocetur. Ad liberiorē autem illius prouocationem vel potiones sudoriferæ assumendæ. Reliqui modi prouocandi sudorem vel inusitati sunt, vel nimis violenti. Vomitus multi consulunt, quem tamen Celsus potissimum a cibo sumto vitandum monet. Sed hac in parte considerandum, quid natura vel consuetudo, quam Hippocrates passim perpendendam esse monet, ferre possit.

Animi affectus.

A Nimi affectus, prout hoc loco considerantur, sunt vehementes aut repentinæ commotiones a naturæ constantia & mediocritate plurimum recedentes, vt sunt ira, mœstitia, amor, timor, &c. Enitendum igitur, vt recta ratio animi affectibus ita imperet, ne illorum procellis & fluctibus iactati in extrema vitæ pericula rapiamur.

*Præseruatio in usu medicamentorum
consistens.*

C Onsideratis rebus externis, haud minor diligentia vsurpandis an-

tidotis a febre pestilentiali præseruan-
tib. impendi debet. Antidotorū ma-
gnus est numerus; danda tamē opera,
ne omniū agyrtarū & tonforum nugis
fidē dem⁹, potius in vsu antiquorū an-
tidotorū longe experiētia pbatorum
ordine & constanter perseueremus,
Huiusmodi antidota sunt Theriaca
Andromachi, Mithridatiū, ouum au-
reū, pilulę Ruffi, Diascordium, tabulę
liberantis cū aloe & sine aloe, terra si-
gillata, bolus orientalis, lapis bezoar,
&c. Vfus horū antidotorū talis insti-
tui debet, vt corpore prius purgato,
singulo mane tantullū de vno vel al-
tero, ꝑut libuerit, deglutiat, ita ta-
mē vt singulis septimanis vel 14. dieb.
sudor semel in lecto vel tina, vt superi-
us dictū est, excipiat. Qui prouecti-
oris sunt etatis, hoc sudorifero vti pos-
sunt. ℞. Theriacæ Elect. vel Mithri-
datii drach. j. syrup. acetosif. citri ʒ. ij.
Misce cū aqua Card. bened. fi. potio.
Pro puerili ætate huiusmodi potio or-
dinari potest. ℞. syr. fumar. Vnciam j.
terre sigilla. ʒ. j. cum aqua fumar. M. fi.
potio. Infantib. dari pōt terra sigillata
vel

vel bolus armena cū fyrupo Limonū.
Pro pauperib. quorū tenuitati semper
prospiciendū, parari potest tale sudo-
riferum. ℞. Pulueris scordij, Card. be-
nedict. an. ʒj. Diatesfar. ʒj. cū aq. cor-
ticum viridum iuglandium. M. Præ-
terea singulis septimanis ad minimū
semel pilulæ pestilenciales Ruffi pon-
dere vnius drachmę tēpore matutino
sunt diglutiendæ. Perperā aut faciunt,
qui has pilulas ante vel statim post cē-
nam diglutiendas offerunt. Harū pilu-
larum operatio tāti æstimat̃, vt pauci,
qui cōstanter eas vsurpauerunt, peste
correpti fuerint. Reliquis matutinis
temporib. alia antidota vsurpēnt, quę
cuiusque ætati vel conditioni conue-
niunt. Pro pauperib. hodie in vsu ha-
betur Electuariū ex nucibus hoc mo-
do paratum. ℞. Nucum iuglandium,
rutæ, baccarum iuniperinarum par-
tes æquales; caricarum ping. partem
dimidiam, incidantur incidenda, ad-
de parum salis, & contunde omnia ad
formam Electuarii, cui affunde ace-
tum odoriferum, & repone in vase fi-
gulino. Hoc antidotum, et si ex rebus

vulgaribus constet, tantam tamen Rex Mithridates eius efficaciam contra omnis generis venena expertus est, ut nullo veneno, quamuis rebus desperatis, id maxime expeteret, succumbere potuerit.

Sape igitur paruis gratia rebus inest.

Quæ neglecta iacent, pondus habere solent.

Quapropter non solum pauperes, sed ditiores etiam cuiuscunque sint ætatis, cochlearium vnum huius electuarii vtiliter sumere possunt. Notandum tamen, hoc ipsum Electuarium prægnantibus, iis potissimum, quæ abortire solent, crebro usurpandum non esse: Ruta enim partui est inimica & abortum promouere solet. Pro delicatis & iis, quibus Theriacæ vel Mithridatii vsus noxius est, huiusmodi bezoarticum præscribi potest. ℞. Condit. cortic. citri, Aurant. conseru. ros. cum spiritu vitrioli præparat. an. ʒj. Boli armen. Tormentil. Angelic. zedoar. an. ʒj. cum syrupo acetos. citri M. fl. Electuar. de quo ad magnitudinem nucis auellanae sumendum. Quando in publicum prodeundum, mastice-

maſticetur zedoaria vel primpinella;
pauperes ſumant radicem oſtrutii.
Solent, qui decipi volunt, & ſolis ex-
ternis remediis delectantur, de collo
geſtare ſacculos, quorum alii ex rebus
Cordialibus, alii ex præſentiſſimis ve-
nenis parantur. Cordiales vt impro-
bari nequeunt: ſic venenati nulla ra-
tione commendari poſſunt, neq; vlli
profuiſſe recordor, qui ab aliis anti-
dotis abſtinuit. Hoc equidem certo
ſcio, plures, qui vena quorūdam per-
ſuaſione Argentum viuum teſta nucis
incluſum peſte abuſuſſe eſſe, auto-
res etiam iſtorū amuletorum omni-
um primos tupiter aufuſiſſe, qui ta-
men ignaris hominibus argentum vi-
uum vel arſenicum religioſe geſtanti-
bus certiffimam ſecuritatem quaſi ſub
iuramento promiſerant. Scribunt
Hiſtorici, Caracallam, licet impius
fuerit Imperator, edicto tamē cauiffe,
ne quis ſuperſtitioſa iſta amuleta ge-
ſtaret. Magnus etiam ille Theophra-
ſtus non ſine cauſſa iudicauit Peri-
clem delirare, cum videret illum a-
muleta de collo ſuſpenſa geſtare. Eſſi

igitur maxima sit harum rerū vanitas, tamē Medici nōnulli vanę hominum persuasioni & Pharmacopoeorum, quæstui subseruire, quam quod res est fateri, aut firmiora consulere malunt.

Signa.

ET si laudabilius opus sit præservare, quam curare, vt inquit Gal. in arte parua cap. 84. præservatio tamen optatum finem nō semper assequitur, vt nō minus pie quam sapienter dixerit Hippoc. nos medicamētis vti, non quod mortem deuitare velimus, sed vt eandem feliciter expectare possimus. Si igitur contingat, vt feбри pestilentiali aliquis corripatur, boni Medici officium est minime terreri, sed optimam curandi viam quam primum ingredi, vt monet Gal. lib. 3. de crisibus cap. 2. Antequam vero curatio instituatur, videndum ne Erysipelas vel simile quid nobis imponat, vt credamus ægrum peste correptū esse, cum alio morbo laboret: solet enim Erysipelas vt febris pestilens cū horrore & calore febrili, interdū etiā cum acuto capitis dolore homines inuadere.

dere. Plura etiam febris pestilentialis signa puerperas terrere solent tertia potissimum die post partū, quādo lac cum frigore & sequēte calore febrili, nec non pūctorio dolore sub alis ad mamillas cōfluit, vt sæpe vano terrore misere corripiantur, sibiq; antidota ad pestem dari cupiant, cum vera febris pestilentialis signa non adsint. Signa igitur febrem hāc pestilentē indicantia diligenter sunt examināda, quæ licet interdum differant, nec omnia simul in omnib. appareāt, vt plurimum tamen adest præceps omnium virium lapsus, interdū somnolētia, interdum vigiliæ molestāt, capitis dolor ægrum occupat, vrget calor febrilis vomitiones molestæ apparent, pauci qui crapulæ dediti fuerunt, ventris torsiones perceperunt: adest respirādi difficultas & pectoris angustia vrina interdū a naturali nō differt, interdum est sicut iumentorum vrina. Pulsus celer est, & inæqualis, nō tamen validus. Certa & indubitata signa sunt tumores & papulæ per cutē hinc inde efflorescētes. Prognostica signa q; attinet, confide-

randum, quod Hippoc. Sect. 4. aph.
19. memoriæ prodidit, tutum non ef-
se in acutis morbis, vel mortem, vel sa-
lutem prædicere: sunt enim in mor-
bis acutis multe vicissitudines, quibus
si error aliquis in victu commissus ac-
cedat, Medici iudicium incertum &
inconstans redditur. Experimur ta-
men paucos euadere, quibus a prima
statim morbi inuasionē tumores vel
pustulæ erumpunt, an quia non criti-
ce, sed symptomatice ante tēpus ap-
parent? Pauciores euadunt, qui subin-
de dormiunt, an quod venenum in-
terius magis sæuit? Paucissimi euadūt,
quibus calor mitior aluique fluxus su-
perueniunt, an quod calor mitior i-
gnauiam & naturæ in expellendo ve-
neno imbecillitatem arguit, alui vero
fluxus vires iam ante debilitatas & at-
tritas plane prostermit. In hac signo-
rum cōsideratione quæstio occurrit,
quæ nimirum caussa sit, quod vniuer-
sæ sæpe familiæ peste absumuntur?
Vulgus huius rei causam ad fatum
quoddam, & nescio quam occultam
sanguinis proprietatē refert. Verum
duæ

duæ potissimum causæ naturales mihi succurrūt. Prima est temperamentum & dispositionis æqualitas : sunt enim agnati & sanguine iuncti eiusdem, vt plurimum temperamenti, ita vt, si pater ad pestē est dispositus, mirum non sit, filios aliosque agnatos ad eandem dispositos esse propter temperamenti similitudinē. Altera causa est, quia agnatus agnatum decumbentem non facile deserit, sed omnes sanguine iuncti auxiliares manus sibi inuicem porrigunt, dies noctesq; ministrant, vt mirum non sit vno aliquo moriente, plures eiusdē familiæ mori. Nec tamen est infallibile signum, nec occultę sanguinis proprietati, sed manifestis causis Phycis adscribendum, si multi eiusdem familiæ ordine moriuntur.

Curatio.

CVratio a sudoris profusione, sine omni mora auspicanda: Morbi enim nascentes, vt Cic. inquit Orat. 5. Philip. facile opprimuntur, fixi difficulter. Exhibenda igitur potio sudorifera, quæ ætati & cuiuscunq; condi-

tioni conuenit, ad aucta tamen ingredientium antidotorum quantitate. Deinde æger ad excipiendum sudorẽ, quantum vires permittunt, sese cõponat. Inter sudandũ, ne vires deficient, aut animi deliquia obtepãt, tantillum oxyfacchari, vel syrupi acetositis citri, berberorum, &c. per interualla offerre licet. Habito sudore æger calidis linteis abstergendus, & in recentem lectum prius calefactũ collocandus, deinde iusculum aliquod conuenienter aceto optimo & odorifero præparatum offerendum. Hoc loco vsum salis absinthiaci chymico more recte præparati inserendum existimo: aliorum enim celebriũ Medicorum testimonio propriaque obseruatione didici, præclarum in sale absinthiaco auxiliũ esse. Gesnerus scriptum reliquit, Theophrastum tria salis absinthiaci grana cum vino ægris exhibuisse. Ego vere interdum drachmam dimidiam cum aqua Carduabenedicti, interdum cum extracto Angelicæ, vel syrupo berberorum non sine magna utilitate exhibui. An vero Sal absinthij

gre-
tate.
ore,
po-
ant,
lum
sci-
alla
rca-
cen-
can-
ue-
fero
oco
ore
mo:
rum
one
aco
reli-
fin-
uif-
di-
cti,
ica,
ma-
ab-
thij

sinthij Theriacæ aliisque probatis an-
tidotis præferri debeat, quod nōn ul-
li statuere videntur, id non facile di-
xerim. Hoc equidem affirmauerim
sal absinthij putredinem potenter in-
hibere, a Theriaca vero mouendis
sudoribus longe superari. Restat ad-
huc vnum, quod aliorum iudicio re-
linquo, an sal absinthij fauces & pala-
tum insipidum reddat? Habui enim
ægros de eo conquerentes. Certum
equidem est, lixiuium, ex quo sal pa-
ratur, quemadmodum & alia vulga-
ria, manus ita afficere, vt sensum ta-
ctus fere amittant, adeoq; suspicari, li-
cet sal ipsum ingrato læuore fauces
oblinire, vt de saporibus exactum iu-
diciū ferre nequeāt. Ceterum con-
tinuanda sunt medicamenta sudori-
fera, donec certa salutis spes afful-
geat. Multum etiam confert, quando
singulis diebus tres vel quatuor vnciæ
aquæ Cardui benedicti cum sex vel
septem guttulis spiritus vitrioli, vacuo
ventriculo ægris exhibentur. Inte-
rim, Cordialia diligenter sunt vsur-
panda, & nares ægrorum aceto rosa-

rum, violarum, florum sambuci vel simili odorifero sæpissime madefacienda. A somno primis præsertim diebus arcendi sunt ægri, ne venenum magis magisque ad interiora viscera progrediatur. Ab usu Epithematum, quantum fieri licet, abstinendum, maxime ab iis, quæ actu frigida applicantur. Cordis autem regio Theriaca electa fouenda, a quibusdam præcipitur. Nec silentio hic inuoluendum, quod Dodonæus aliique præstantes Medici plurimum conferre obseruaverunt, quando columba viuens per medium dissecta pedum plantis applicatur, hoc enim pacto non solum capitis dolor, quod symptoma peste infectos mirifice torquet, demulcetur, sed omnis etiam malignitas a partibus superioribus ad inferiores & ignobiles deriuatur. Probatum etiam vas aqua frigida plenum, in quod libra una vitrioli coniecta sit: in cubiculum enim repositum, aerem purificat & malignitati resistit. Alij lintheola aceto madefacta, hinc inde per cubiculum ad corrigendam pestiferam exhalationem

tionem suspendunt. Cæterum quod
 ad sanguinis missionem attinet, peri-
 culosa agitat inter Medicos quæstio, ^{Sanguinis missio periculosa.}
 An scilicet pro curatione febris pesti-
 lentialis necessarium sit sanguinem
 mittere. Quam in re optandum, ut con-
 cors omnium Medicorum sententia
 esset; est enim magnum numẽ, ut Cic.
 inquit, quando omnes vnum & idem
 sentiunt: discordia vero, ut Gal. inquit
 comment. i. de vict. acut. iustam igno-
 rantia suspensionem apud populum
 parit. Sciendum igitur Sanguinis mis-
 sionem pro curatione febris pestilen-
 tialis non solum superuacaneam esse
 sed omni etiam periculo plenam. Pri-
 mum enim constat inter omnes Me-
 dicos, sanguinis missionem non esse,
 proprium pestis antidotum. Deinde
 si sanguinis missio ad curationem fe-
 bris pestilentialis est necessaria, adeo-
 que vitæ salus in ea cõsistit, certum est
 pueris, senibus & prægnantibus. certam
 mortem esse expectandam: nemo e-
 nim his venam incidere audebit. Sed
 præstat argumenta illorum, qui venæ
 sectionem præcipiunt, ordine consi-

derare, vt eo facilius, quid amplectendum sit, appareat.

Primum argumentum sumtum est ab autoritate veterū Medicorū Ruffi, Aetii, Æginetæ, Celsi, Auenzoaris, Auicennæ & aliorum. Huic argumento simpliciter respondetur, turpe esse Medico, sola niti autoritate, & sine ratione loqui. Præterea Oribasius, Aetius & Ægineta venę sectionem ex proposito non approbant, sed Ruffi sententiã simpliciter recensent. Ruffus etiam ipse non nude sanguinem mittendum esse consulit, sed existente magna sanguinis copia. An vero sanguinis copia in febre pestilentiali sufficienter venę sectionē indicet, breuiter considerandū. Hippoc. aphor. 3. sect. 1. In magna sanguinis copia venam sine mora incidendam & plethoram auferendam esse monet. Ergo in febre pestilentiali, apparēte sanguinis copia, venā incidēda. Respōdeo, dubiū non est, quin sanguinis abundātia venę sectionē indicet, cæteris tamē parib⁹, quādo scilic. nulla cōtraindicantia seu prohibētia adsunt, quę sectionem impedire possint

possint: nam non solum indicantia, sed etiā prohibentia inter se sunt considerāda. Licet igitur sanguinis abundantia detractiōē illius indicet; pestilens tamen malignitas illā ipsam prohibet, quia per detractiōē sanguinis, venenū agitatur, & p̄ vniuersum corpus magis magisque diffunditur, vnde extrema perniciēs cordi expectāda, vt Germanicum prouerbium de non agitādis & mouendis stercoribus hoc loco obseruandum veniat, quo enim magis mouentur, eo latius fœtor diffunditur. Hoc ipsum Thucydides intellexit, inquit, τὸ κακὸν ἐν κείμενον, ἢ κινήτεον: Malū quiescēs nō lædit, sed agitātū interimit. Similitudinē habem⁹ in vasis vinariis in quib. si aliquid impuri aliquo in loco cōtinetur, statim vbi vinū extrahitur impuritas magis mouetur, & plures vini partes inquinātur. Melius igitur est probatis antidotis malignitati occurrere, quā illā psā sine fructu periculose exagitare. Celsus etiā nō simpliciter sanguinem mittēdū esse cōsulit, sed tunc, quando vires constant. Cum autem omnium Medicorū iudicio non solū vires prę-

sentes, sed etiam futuræ Medico diligenter sint expendendæ, certumque sit vires in hac febre mirifice cōcidere, vtile erit a sectione abstinere. Quantum attinet ad recentiores Medicos, aliquot in medium adducunt rationes, quibus necessitatē sanguinis mittendi persuadere conantur.

Febres putridæ, inquiunt, sanguinis missionem requirunt. Pestis hæc est febris putrida. Ergo Respondeo Maiorem esse falsam ex Gale. lib. II Meth. cap. 41. vbi manifeste docetur Febres putridas in se cōsideratas sanguinis missionem non requirere. Ac Minorem quoq; respondeo, Febrem hanc pestilentialem non esse simpliciter febrem putridam, sed graui & excellenti putredinis gradu ad venenatas febres accedere, ideoque alia curatio debetur febribus simpliciter putridis: & alia, si propriam essentiam & characterē spectes, febribus pestilentialibus: Quæ enim in vno tertio conueniunt, illa propterea non sunt eadem, Et per consequens, eandem curationem non admittunt.

Galenus

Galenus comment. 3. in lib. 1. Epid. miratur, quod Hippoc. Critoni febre laboranti, & maculas nigras habenti in crure, sanguinem non detraxerit. Constat autem ex signis, inquiunt, Critonem peste laborasse. Ergo in peste vena incidi debet. Respondetur, Incertum esse, an Crito laborauerit febre vere pestilentiali: sunt enim qui putant, venenum ei exhibitum fuisse. Posito tamen Critonem laborasse febre pestilentiali, prudentius tamen egit Hippocrates qui a sectione venæ abstinuit quam Galenus, qui intermissam admiratur: Sic autoritas autoritate conuellitur.

Magnus morbus requirit magnum remedium, ut est venę sectio. Pestis est magnus morbus. Ergo. Responsio: Maior est vera: falsum tamē est, solam sectionem venæ, esse magnum remedium. Sunt enim plura remedia, quæ pro diuersitate morborū magna esse possunt: Epilepsia enim, Paralyfis, hydrops, sunt quidem magni morbi, nemo tamē in his affectibus venę sectionem fabile imperabit.

Quod sudorem promouet, non est
omittendū. Sanguinis missio promo-
uet sudorem. Ergo. Minorē probant
ex Galeno, qui in comment. aphorif.
23. sect. 1. inquit, Sanguinem vsque ad
animi deliquium extractum sepe mo-
uere sudorem. Respondetur: Non es-
se Galeni consilium, vt nos ad simile
hortari velit, sed nude ibi recenset,
quid aliquando casu fortuito accide-
rit: Ineptum igitur esset, si quis ad pro-
uocandum sudorem extrema illa san-
guinis missione vteretur, cū longe tu-
tiora & meliora remedia sudorifera
sint in promptu. Præterea minime suf-
ficere arbitror sudorē simpliciter p-
uocare, nisi tali pharmaco prouocet,
quod malignitati simul resistat. Hinc
sepissime obseruari licet eorum cona-
tum irritum esse, qui absq; antidoto-
rum vsu vel montes ascendendo, vel
aliis violentissimis exercitiis sudorem
etiam largissime prouocant.

Repertus quoq; est, qui venæ sectio-
nem sic adstruit in febre pestilentiali,
teste Gal. magna exsiccatione opus est
sanguinis missio maximopere exsic-
cat.

cat. Ergo sanguinis missio nō negligēda. Respōdeo, distinguendū esse inter præservationē & curationem. Gal. ad præservationem maxime requirit exsiccationē: in curatione vero potissima intentio ad malignā putredinē dirigenda, quā nemo sanæ mentis venæ sectione auferre tentabit, nisi quis vniuersum sanguinem extrahere velit.

Ab experientia quoque nonnulli argumentantur, multos scilicet post sectionem venæ conualuisse. Respondet Hippoc. aphor. i. experientiā esse fallacem, & Galenus præclare docet, experientiam nūquam a ratione diuellendam esse. Clarissimus etiam Erastus dicere consuevit, diligētius obseruandū esse, quod rationi & naturæ rerum consentiat, quā quod casu fortuito eueniat. Sed ne nimium detrachere videar experientiæ, quæ in viro bono vicē methodi, supplet, sciēdum etiā clarissimā multorū Medicorum experientiā de nō secanda vena in febre pestilēiali exstare. Primū cōstat, cū an. 1529. sudor Anglicus totā ferme Germaniā infestaret, vt plurimū oēs

interiisse, quibus sanguis fuit detractus. Referunt etiam Annales An. 1510. febrem pestilentialem crudeliter in Gallos seuiisse, ad quam profligandam, quibus alius fuit ducta, vel sanguis extractus, omnes multo citius interiisse. Præterea Iulius Palmarius scriptum reliquit, cum An. 1568. pestis Lutetiæ grassaretur, omnes habuisse calamitosum exitum quibus sanguis fuit missus, reliquos vero assumtis cordialibus & Alexipharmacis remediis conualuisse. Ioannes Langius celebris Medicus pessimam Germanorum consuetudinem prolixè detestatur, qui potissimum pestis remedium in sanguinis profusione collocat. Accedit auctoritas præstantissimi Gesneri, qui in magna illa Tigurinorum pestilentia observauit funestum illorum exitum, qui spem vitæ in sectione venæ collocauerant. Longum etiam esset & superuacaneum, eos nominatim hic recensere, quibus hoc pestis tempore venæ sectio infeliciissime cessit. Nec denique desunt multorum clarissimorum Medicorum Theses de non secanda venâ in morbis

in morbis malignis publico omnium iudicio approbatę. Hęc eandę sectionē improbarunt Montanus, Ander-nacus, Lemnius, Frisimelica, Don-cellinus, Bellocatus, alique celeberrimi Medici. Verum enim vero sunt adhuc non nulli, qui certis conditio-nibus sectionem venę nobis obtrude-re conantur, quorum tamen maxima inter se est dissensio. Alii enim sine mora quę primum ab inuasionē mor-bi sanguinem mittūt. Alii expectan-dum esse pręcipiunt, donec tumores vel maculę erumpant, ne venę sectio in parte vel latere tumoribus aduerso instituta, naturę motum impediat, & venenum de vno latere in alterū de-ducatur. Alii item ad animi deliquium sanguinem mittunt, Alii parce mit-tendum esse consulant. Alii denique statim quidem ab inuasionē morbi sanguinē detrahūt, simul tamē Alexi-pharmacum exhibēt, & cucurbitulas partib⁹ glādulosis, ad quas natura ve-nenatos humores protrudere solet, affigunt, & sic demum venā incidunt, sperantes motum naturę hoc appara-

*Conditio-
nalis san-
guinis
missio im-
probatur.*

tu impediri non posse. At vero si horum Medicorum placita accuratius perpendamus, apparebit omnes in errore versari, & miseros homines in extrema vitæ pericula coniicere. Qui enim statim ab inuasionem morbi sanguinem mittunt, præterquam quod ipsissima negligunt Alexipharmaca, quæ sine cunctatione exhibenda erant, ægrum in præsens discriminem vitæ præcipitant. Cum enim per initia morbi incertum sit, an natura, cuius minister Medicus esse debet, veneni propulsionem parte inferna vel superna, latere dextro vel sinistro sit tentatura, cæcæ fortunæ rem committant necesse est. Si enim Medicus venam cubiti aperiat, natura vero maculas & tumores parte inferiore, utpote in cruribus propellat, dubium non est, naturæ motum iam impeditum esse. Eadem ratio est, quando sinistri lateris vena inciditur, natura interim in dextro latere propulsionem moliente. Quapropter venæ sectio statim ab inuasionem morbi sine præsentis periculo administrari nequit. Qui consulunt exspectan-

no-
tius
in
sin
Qui
an-
rod
ca,
nt,
re-
orbi
ster
fio-
tere
eca
est.
eri-
pres
ibus
ura
tem
ena
ola
qua
nat-
ad-
ex-
tan-
spectandum esse tempus erumpen-
tium tumorum & macularum, & de-
inde ex eodem latere sanguinē mit-
tunt, ij in præceptū Hippocratis gra-
uiter impingunt, quod pestilētissimo
hosti inducias permittunt: in acutis e-
nim morbis, quod mouendum est, id
statim initio moueri debet, vt inquit
aphor. 29. sect. 2. Præterea, si, quod
frequenter accidit, natura in vtroque
latere, parte etiam superna & inferna
maculas expellat, an non Medicus
anceps redditur, & venæ sectio peri-
culosa? locū enim non inuenit, quem
secure incidere possit. Qui ad ani-
mi deliquium sanguinem mittunt,
sunt omnium audacissimi, & vitam,
quæ in sanguine fundata est, simul
cum sanguine profundunt, quin et-
iam virium robur, quod ad superan-
dum hunc atrocem hostem est ne-
cessarium dissoluunt, vt sub tanto pe-
stis onere miseris omnino sit succum-
bendum. Qui parce sanguinem mit-
tunt, trepidationem & ignorantiam
declarant, credentes parum, pa-
rum nocere, cum tamen nullum sit

tam exiguum erratū, quod teste Hippoc. 2. Epid. in morbis acutis magno-
pere lædere non possit. Qui denique
confestim sanguinis missionem im-
perant, sed corpus simul, extrinsecus
quidē, cucurbitulis impositis, intrin-
secus vero Alexipharmacis assumtis,
muniunt, satis illo ipso apparatu de-
clarant, se rem magni periculi tenta-
re, alioquin istum apparatus omitt-
terent. Et hæc de non secanda vena.

Purgatio. Si alui cōstipatio incidat, nō erit ne-
gligēda, sed idoneis clysterib. & sup-
positoriis subducūt subducēda. A me-
dicamētis vero electiue purgantibus,
multoq; magis ab Antimonio aliisq;
violentissimis pharmacis prorsus ab-
stinendum. Quæ enim fortiter pur-
gant, non solum veneno & maligni-
tati nihil resistunt, sed ipsa etiam per
se maligna qualitate prædita sunt, qua
corporis vniuersi robur labefactant &
dissoluunt, vt non immerito Ascle-
piades fortia medicamenta purgan-
tia reiicienda censuerit. Minime igitur
audiendi sunt Empirici, qui Anti-
monium in principio morbi assum-
tum

tum venenatos & corruptos humores mirabili proprietate superne & inferne expellere turpiter nugantur. Nec video, ex quo fundamento quibusue rationibus nuper quidam Euphorbium tam pueris, quam adultis tuto ^{pro}ppinari posse, publice scripserit. Tumores vel pustulis debito tempore apparentibus, ægri animum abiicere haud debent, sed salutis & restitutionis spem certiore animo concipere: tumores enim erumpentes naturæ robur in expellenda malignitate arguunt. Confestim igitur negotium illud perito & fideli chirurgo demandandū, qui omni studio, & si opus est, cucurbitularum impositione tumorem magis magisque euocet: deinde idoneis Emplastris ad suppurationē perducatur. Vfitatum est Emplastrum illud quod ex cœpa & theriaca conficitur. Accipe cœpam magnā eamq; excavatam theriaca reple, & sub prunis vel cineribus calidis ad mollitiem coque, deinde in mortario ad cataplasmatismatis formam contunde. Cum autem theriaca inter corpus assum-

ta malignitatem ad exteriora propel-
lat, suspicari licet, extra corpus adhi-
bitam, venenum ad interiora propel-
lere. Qui tamen veterum vestigiis in-
sistendum putant, dent operam, ne
theriaca inter assandū aduratur, quod
non raro fieri solet vt longe tutius sit
cæpas solas assare, deinde inter con-
tundendum theriacam admiscere. Si
metus imminet, ne tumores retroce-
dant aut euanescant, fortiora attra-
hentia erunt admiscenda, vt sunt se-
mina eruce & nasturtii. Alii aliis vtun-
tur Emplastris, quibus magno ægro-
tantium malo adeo interdum obdu-
cunt tumores, vt nihil euaporare aut
transpirare possit. Cum vero constet,
naturam non solum per visibilem su-
dorem, sed etiam per inuisibile trans-
pirationem ea potissimum parte, vbi
tumor apparet, venenum expellere,
iniungendum est Chirurgis, vt pro
magnitudine tumorum Emplastra
aliquot foraminulis peruiaparent,
ne venenum intus cohibeatur, sed
liberum per foramina egressum ha-
beat. Hinc etiam apparet, in quanto
errore

errore versentur, qui delicatis aut impatientibus ægris gratificari cupiunt, & tumorum pestilentialiū ardorem & dolorem vsu frigidorum & repellentium medicamentorū demulcere student, re ipsa vero malignitatem ad interna viscera percutiūt. Huic errori Auicenna occasionē dedisse putatur, qui gallas, plantaginem, mala granata, aliaq; repellentia cum aceto cocta cataplasmatibus loco imponere nō veretur. Etsi vero dolor attrahentium & maturantiū medicamentorum vsu exasperetur, febris etiā quandoq; augeatur: præstat tamen, momentaneum dolorē certæ desperationi præferre, & ab vsu repellentium abstinere, id quod Galenus nō solum in simplicibus tumoribus iuxta principale aliquod membrum cōsistentibus, sed vel maxime in tumoribus malignis obseruandū esse passim inculcat. Detestandus etiam alter Chirurgorum error, quando tumores æstuentes, nescio, quib. non oleis inungūt, quasi sine inunctionib. nihil præclari perfici possit, cū tamen oleorū aliarumq; re-

rum pinguium vsu calor conseruetur & augeatur. Tumore ad suppurationem perducto, res omnis salua est, & in portu nauigatur. Sin præter spem tumor euanescat, vnica salus in crebris sudoribus consistere videtur: Si nec crebri sudores, vel ob cutis densitatem, vel ægri impatientiam, cieri possunt, ægri autem nihilominus euadant, timendum, ne malum aliquando recurrat, quod Turckhemii pluribus, & Alzææ nonnullis accidisse compertum habeo.

Quapropter in suspectis illis casibus ferro peragendum, quod medicamentis obtineri non potest, vnde nonnulli lata forcipe, cuius vsus in parandis setaceis apud Italos esse solet, cutem sanam, paulo infra tumorem apprehendunt, & ignito stylo ferreo illam perurunt, deinde radicem consiligenis, cuius mirificam virtutem Columella lib. 6. cap. 5. describit, butyro illitam inserunt, & sic venenum cum cute miraculose excidere faciunt. Et quidem hucusque de Febris Pestilentialis tam præseruatione quam curatione.

ratione. Quod restat, nobis orandus est Deus, vt oculis suæ misericordiæ varias humani generis calamitates respiciat, medicamentis gratiose nobis concessis felicem operationem largiatur, penasque meritas clementer auertat.

APPENDIX

CONTINENS REFUTATIONE M QVINQVE

Argumentorum, quibus M. Ioannes Gramanus probare conatur, Theriacam, Mithridatium, Ouum aureum, & similia alia, non esse vera febrium pestilentialium antidota.

ARGVMENTVM I.

M. Gramani.

QUODCVNQVE medicamentum intra corpus assumēdum manifesta venena recipit, non potest esse antidotum contra venena. Atqui Theriaca recipit manifesta venena viperarum, serpentium,

E

venenatorum vermium, carniū & pinguedinum venenatorum. Ergo.

Refutatio.

M. Gramanus Maiorem propositionē nulla probatione egētem, probat dicto in scholis vsitato: Tale additum tali, fit magis tale. Minorem, quæ probatione egebat, alto silentio præterit. Cū enim nugas illas leui saltem probationis vmbra palliare non posset, silentio probationē obduxit. Falsissimū vero est, quod Gramanus de serpentibus, venenatis vermibus, carne venenata & pinguedine eructare non erubuit: nihil. n. tale in Theriacam recipitur. Viperas quod attinet, constat illas nō integras & secundum omnes partes, sed secundum caudam, caput & pedes, venenatas esse: cum vero latera saltem viperarum in Theriacam sumantur, corrui, quod de viperis adduxit. Nec mirum videatur Gramano, Venenum certis partibus inherere: est enim ea multorū animantium conditio, vt in certis & determinatis partibus venenū habeāt. Exemplo nobis inter alia sunt Scorpiones, quorum ve-

rum venenum in sola cauda consistit, quia vim sibi inferre volētes cauda inuerſa aculeū dorſo leuiter infigunt, iſtoq; modo mortem ſibi conſciſcunt: quando.n. moleſtātur ſcorpiones, omniſq; elabendi via intercluditur, furore quaſi pecti aculeū dorſo infigūt, mortemq; celerem ſibi inferunt. Nec credere licet, Scorpiones ex tantulo vulnere interire, cū obſeruauerim eos ōge maiora acu inſlicta, citra vitæ diſcrimen ferre. Ergo manifeſtū euadit, enenum in ſola cauda reſidens, vitæ ſcorpionis tanquā contrariū inſidia-ri. Simili modo cantharides non ſunt uſq; veneno, quib. tamen, ſi alias, pedes & caput ſuſtuleris, non ſolū innoxium, ſed etiā vtile medicamentū habebis. Sic canis rabioſi virus & venenum omniū iudicio & experientia in ſola conſiſtit ſaliua, Aſpidū venenum in ouis, Leopardi in felle, Muris in vena, Torpedinis in ſumma cute. Sed & viperas redeo, de quibus Galenus ariſſimus auctōr, libr. 11. de ſimpl. medicam. facult. cap. 2. & de optima ſect. cap. 12. memoriæ prodidit, ægros

quosdam desperatos vini usu, in quod integræ viperæ casu fortuito inciderant, non solum nihil periculi passos, sed potius conualuisse. Tanta igitur virtus resistēdi malignitati viperis inest, vt malignitas in extremis quibusdam partibus consistens a virtute Alexipharmaca prorsus eneruet & infringatur. Præterea multorum seculorum fidissima experientia Gramani ineptias apertissime refellit. Quis enim ignorat Commodum, Traianum, Seuerum, aliosque Romanos Imperatores trochiscis viperinis contra omnis generis venena felicissime usos esse. Luculentissimum vero Mithridatis exemplum exstat, qui crebro huiusmodi antidotorum usu corpus suum ab omni veneno liberum & immune præparauit. Locum etiam non habet, quod magnæ auctoritatis Medicus scriptum reliquit, Dioscoridem præcepisse, vt vasa vinaria diligenter munirentur, ne viperæ illapsæ vinum veneno inficerent. Dioscorides enim viperarum non meminit, sed phalangiorum & stellionum, peculiari

culiari natura vino insidiantiũ. Quapropter fictum est, quod M. Gramanus de viperino veneno obtrudero conatur.

ARGVMENTVM II.

M. Gramani.

Venenata simplicia vegetabilia antidotis non sunt permiscenda. At vero opium, Hioscyamus, Mandragora, sunt ex numero venenatorum vegetabilũ. Male igitur fit, quod antidotis permiscantur. Minorem ex cap. 17. de Theriaca ad Pisonem probare nititur, vbi Galenus fatetur, Theriacam aliquãdo exhibitã fuisse puero, qui sequẽte nocte vitam finiuerit.

Refutatio.

Textus, quem Gramanus ex Galeno adducit, ad probationẽ argumenti nihil facit. Primum enim constat, librum de Theriaca ad Pisonem non esse Galeni, sed alterius cuiusdam, sub Galeni nomine editum. Deinde auctor istius libri conceptis verbis inquit, puerũ dissolutum cum alui profluuiio obiisse, calore nimirum nativo

a febre ardente, qua puer laborauit
grauiter afflicto, accedente ignea The-
riacę natura omnium virium dissolu-
tionem superuenisse. Hinc quod fre-
quētissime in acutis fieri solet, alui p-
fluuium successit, de quo Hipp. libr. 3.
Epid. sect. 3. facta repetitione, inquit,
Omnes aluus sustulit. Liquido igitur
apparet Gramanū ex verbis Gal. sen-
sum istum minime extorquere posse,
puerū propter admistum opiū, hyo-
scyamum & mandragorā, sed potius
dissolutū ex alui pernicioso & lethali
profluuiio extinctum esse. Hūc mor-
bi exitum præuidēs auctor istius libri
ad Pisonem, Theriacę exhibitionem
omnino dissuasit, parētes vero, pueri
mortem exoptantes, inuito Medico
Theriacam exhibuerūt. Verum cum
omnib. in Medicina versatis sit notis-
simum, opium, mandragorā, & hyo-
scyamū, nec caloris natiui dissolutio-
nem, multo minus lethale alui proflu-
uium excitare posse, qui aluū potius
supprimunt, euidentissimum euadit,
puerum non propter admistū opium,
&c. extinctum esse. Quapropter Gra-
manus

manus vires dictorū simpliciū partim non intelligit, partim verba auctoris mala fide allegat. Cum aut Gramanus opium, hyoscyamū, & mandragoram tantopere exagitet, quamuis solum opium in Theriacā, reliqua vero in cōpositionē aureæ Alexandrinæ ingrediant, videamus, an hæc tria inter venena sint connumeranda. Venena omnium Philosophorū & Medicorum iudicio sunt, quæ inexplicabili vi, & q Aristot. problem. 48. addit, in parua quantitate præsentaneā mortē inferre possunt. Iam vero nullū dictorum simpliciū medicamentorum inexplicabile habet vim, sed manifestam, nec in parua quantitate exhibitū præsentaneam mortē inferre pōt. Ergo nihil horum inter venena referendū. Et sane opium q attinet, testantur Medici Colonienſes & Florentini minoris Asiæ populos magno studio excolere papauera, vt opiū inde ad quotidianū vsum sibi pparent, quo cum innoxie vtant, venenatū esse nequit. Matthiolum etiā memoriæ reliquit, nō solū Hetruriæ & Insubriæ populos ex semine

papaueris placentas ad victum parare, sed Styrios & Austriacos oleum ex nigri papaueris semine pressum, olei oliuarum vice cibis sine vlllo periculo admiscere. Semen autem hyoscyami triplex est: aliud nigrum & deterius, alterum flauum pauloque mitius, tertium album & securissimum, quod etiam in compositionem aureæ Alexandrinæ ingreditur.

Mandragoram denique quod attinet, Dioscorides fidissimus testis literis mandauit, Opiliones mandragoram sine vlllo periculo ad cōciliandum somnū sapissime deuorare. Etsi autem vniuersa mandragoræ planta in tertio refrigerantium ordine collocetur: Oribasius tamen lib. 14. cap. 10. haud obscuram caliditatem ei tribuit, quæ meo quidem iudicio in cortice mandragoræ, qui solus in dictam compositionem ingreditur, potissimum consistit. Sed largiamur Gramano, Opium, hyoscyamum & mandragoram, quandoque etiam a Galeno deleteria, id est, venena vocari, sit tamen hoc longe alio sensu. Deleteria e-

ria enim differunt: alia proprie sunt deleteria, quæ occulta & inexplicabili ratione in parua etiam quantitate exhibita præsentaneam mortem inferunt, vt sunt Napellus, Neriū, Sublimatum, & similia. Alia improprie deleteria dicuntur, quæ excessiua tantum primarum qualitatum intemperie aliquid malitiæ obtinēt, & non nisi in magna quantitate exhibita lædunt, ideoque malitiosa potius quam venenata dici debent, cuiusmodi sunt Euphorbium, hyoscyamus mandragora & similia, quorum tamen malitia aliorum medicamentorum artificiosa mistura ita corrigi & emendari potest, vt nihil inde periculi sit metuendum.

ARGVMENTVM III.

QVæcunque medicamenta in sudore vultus secundū præceptum Dei non elaborantur, sed cruda offeruntur, vsurpari haud debent. Atqui Theriaca, Mithridatium, Ouum aureum non elaborantur secundū præceptum Dei, sed cruda sine labore in vnum congesta offeruntur. Ergo, &c.

Refutatio.

Gramanus hic confundit diuersa argumenta : aliud enim est medicamenta sine sudore præparare , aliud vero medicamenta , sine idonea præparatione offerre. In prima argumētandi forma manualem seu corporalem laborem ad sudoris profusionem a Galenicis simpliciter requirit. Hinc apparet Ioannem Gramanum nō solum esse Magistrum Philosophiæ & Medicinæ , sed etiam profundum Theologū , qui omnium primus Galenicorum Theriacam ex verbo Dei improbare didicit. Verum, dictum illud scripturæ quod attinet, constat inter Theologos Gramano saniores, per sudorem non solum manualement operationem ad sudorem vsque productam, sed etiam concessas meditationes, curas, cogitationes, anxietates animi, & quidquid omnino est, quod ad acquirendum victum pro vniuscuiusque conditione & legitima vocatione negotium faceffit. Cum M. Gramanus veram sacre Scripturæ mentem ignoret, nulli mirum esse de-

fe de-

se debet, quod relicto sacrarum literarum studio, desertaque concionandi vocatione, falcem in artem Medicā intulit: grauius enim erratum est, non intellecto sensu verbi diuini auditorum animas, quam vitam ægrorum, non intellecta Medicina temerario ausu perdere, cum vel ipsorum Iureconsultorum decreto solis Medicis, si diis placet, impune occidere liceat. Alterum valde puerile & absurdum est: Si Pistorum, inquit Gramanus, lanij, coqui, omnesq; alij, qui circa præparationē ciborum versantur, recte faciunt, quod magna cura multoque labore vtilia ab inutilibus separant, omnia subigunt, elixant, affant, nihilque sine laboriosa præparatione crude & cocte comedendum offerunt, ne ventriculis sanorum hominum molestia in concoquendis cibis inferatur, inique & præpostere agunt Medici, qui minori industria nulloque labore crudas radices debilibus ægrorum stomachis deuoandas & concoquendas exhibent.

Sed apta mehercle, est similitudo

ex ipsissimo Gramani cerebro enata. Quis propter Gramanum rerum Medicarum adeo imperitus, ut statuat medicamenta concoqui in ventriculis. Discat igitur Gramanus medicamenta & alimenta longissime inter se differre: hæc enim possunt & debent ita præparari, ut facile alterentur & concoquantur: Medicamenta vero nullo modo præparari possunt, ut in ventriculis concoquantur. Concoctio siquidem nihil aliud est, quam deductio eius quod concoquitur in familiarem naturam & substantiam partium concoquentium, ideoque est necessum, ut inter materiam concoquendam & partem concoquentem quædam sit familiaritas & cognatio. Iam vero inter medicamenta, & partes concoquentes talis familiaritas, ne excogitari quidem potest, qualis est inter alimenta & dictas partes concoctioni destinatas, quin imo medicamenta occulta quadam discordia in corpus nostrum agunt viresque suas expediunt, maxime vero, si vehementer & strenue operantur. Quapropter Gramanus suo
anima-

animali & vegetabili alexipharmaco in formalem essentiam reducto, nulla calcinatione, præcipitatione, exaltatione, nullisque ante fornacem laboriosis sudoribus aptitudinem imprimere aut infundere poterit, ut quatenus medicamentum est, in ventriculo concoquatur. Quod vero indomita maledicentia obiicit, Galénicos crudas radices sine vlla præparatione in Theriacam coniicere, impurum & palpabile est mendacium: ut enim aliorum medicamentorum laboriosas præparationes taceam, solius certe Theriacæ compositio non vnius, sed multorum dierum singularem industriam & laborem haud exiguum a fidelibus pharmacopœis exigit.

ARGUMENTVM IIII.

Composita medicamenta, in quibus simplicium medicamentorum vires suffocantur & extinguuntur, nullius sunt efficacix. In compositione Theriacæ vires simplicium medicamentorum nimia vini & mellis copia suffocantur & extinguuntur. Ergo, &c.

Refutatio.

Hæc obiectio vera est, si nimia vini & mellis quantitas affundatur: Si vero iusta vini & mellis quantitas & apta ad pondus specierum proportio observatur, quemadmodum in dispensatione Theriacæ, singulari industria requiritur, nulla viriū suffocatio metuenda. Vinū ergo quod attinet tantum illius sumitur, quantum dissolvendis succis & liquorib. satis est. Quantitas vero mellis ea in antidotis esse solet, ut ad uncias 4. specierū seu simplicium medicamentorum, una libra mellis sumatur. Cū igitur specierum Theriacam constituentium pondus sit quinquaginta septem unciarum, & duarum drachmarum, recte mellis libræ 14. & uncia 3. adiiciuntur: interdum tamen propter ægros delicatos plus mellis adiicitur, in quo casu maior etiam antidoti dosis constituitur: in ipsa vero antidotorū dispensatione maior mellis copia nunquā adiici debet, quam quæ dicta est, eo quod facilius est, usus tēpore vni alicui dosi plus mellis addere quā detrahere. Deinde

de respondeo: Etsi in compositione medicamentorum, vires simplicium aliquantum imminuantur: compositi tamen medicamenti vis nullo modo imminuitur. Theriaca enim semel confecta, naturam & vim, quæ ex mixtura resultat, constanter retinet, licet simplicia tantillum deperdant. Sed Gramanus, cum Chymicus haberi velit, hac in parte parum caute loquitur: Chymicis .n. nihil vsitatus est, quam q̃ simplicia sua medicamenta multis modis, vel in vino, vel vini spiritu, in aceto, &c. infundunt, suffocant, tandemque extrahunt. Si ergo in his medicamentorum infusionibus nulla virium suffocatio, cur in Theriacæ præparatione pertimescenda? Quid hodie omnibus Medicis vsitatus, vel efficacius etiam, quam extractis (vt vocant) vti? Hæc vero quæ extrahi debent, an non idoneis liquoribus, prius perfunduntur diebus aliquot, iis innatare permittuntur, denique secundum artis legem extrahuntur? Hæc si perpēdisset Gramanus, æquiores de Theriaca sententiam pronuntiasset.

ARGVMENTVM V.

Medicamentum, cuius certa dosiſ obſeruari nequit, periculofe vſurpatur. At vero Theriacæ nulla certa doſiſ obſeruari vel exhiberi poteſt. Ergo, &c. Minorem Gramaniſ probat. Quia ſimplicia medicamēta quæ Theriacam conſtituūt, vt plurimum ſunt exotica, ideoque haud conſtat, an ad perfectionem ſeu integritatem ſingula puenierint, nec ne? Sunt enim anni conſtitutiones & temperaturæ diſſimiles, & proinde terræ naſcentia modo perfecte, modo imperfecte cōcoquuntur. Quando igitur incertum eſt, an exotica perfectā maturitatem & naturales facultates conſecuta ſint, certa doſiſ obſeruari nequit: quæ enim perfectas acceperūt vires, in minori, quæ imperfectas, in maiori doſi ſumuntur. Incertum præterea eſt, quo tempore ſingula collecta, quomodo reſoſita, an adulterata vel integra ad nos perlata ſint, &c.

Refutatio.

Hanc Gramaniſ dementiā fatiſ mirari nequeo, cum nemo tam ſit rudis, rerum-

rerumq; imperitus, qui vinum, quod in multis prouinciis exoticum est, colore ipsius cōsiderato, odore & sapore exploratis diiudicare nequeat, an sufficiente calore solis excoctum ad maturitatem peruenerit, an debito tempore expressum, an puro vel impuro cado exceptum, an aquæ misturam, sulphur, vel simile quid passum sit. Pomum immature ab arbore decerptum, marcor, tabes, & rugæ arguūt. Radices, omniaque alia simplicia minus conuenienter exsiccata aut reposita fuisse, litus, mucor, fœtor, aliaque indicia produnt. Recentia sapore, odore, visu, pondere: inueterata aut leuitate, carie, insipiditate, aliisq; notis percipiuntur. Quicunque igitur Medicus sensibus non destituitur, etiam exoticorum naturam & perfectionem ingeniosa explorare, certamque medicamentorum dosin inuestigare, & illam ipsam non solum pro ratione ætatis, quod vnicum Gramanus considerat, sed etiam pro ratione anni, regionis, temperamēti, sexus & morborum cum summa discretione præ-

scribere poterit. Potissimum ergo instrumentum, quo certa & idonea medicamenti dosis decernitur, est sensuum beneficium: Primum enim singulorum simplicium medicamentorum compositionē aliquam cōstituentium vis & facultas sensuum iudicio seorsim inquirenda, quod præter alios magna omnium admiratione præstitit Galenus in libris xi. quos de simplicium viribus exaravit. Deinde eorundē sensuum opera totius compositi vis, quæ ex multorum simplicium mistura emerfit, diligenter consideranda. Quod si sensibus accesserit rerum experientia, firmitus iudicium de certa dosi habetur. Circa experientiam vero observandum, quod Gal. 2. & 5. de simpl. facul. docet, non omnes experiri posse. Est enim experientia, teste Alexandro, in lib. i. Diuin. Aristotelis, cognitio artificiosa & rationabilis a memoria proficiscens. Quicunque igitur artificiose ratiocinari nequeunt, illi ipsi nec experiri possunt. Hinc Gal. tex. i. in com. Quæ in Medicina fiunt, inquit, temeritatis indicium

indiciū esse experientia sine ratione uti. Quapropter ratio ab experientia nunquam diuellenda, nec quod casu accidit, vel quod in vno & altero obseruatur, pro experto habendum, sed quod in pluribus eodem semper modo se habentibus accidere videmus. Cognitis hunc in modum simplicium & compositorum medicamentorum viribus, danda est opera ut singulorum etiam arcanas proprietates perspectas habeamus quod Gal. com. 3. in 1. Epid. tex. 1. in diligenti Medico requirit. Præterea medicamenta tam simplicia, quam composita, non solum ad certam qualitatum classē, sed etiam ad certum classis gradum sunt reducenda: minime enim scire sufficit, an medicamentum in primis qualitatibus calidum sit, frigidum, humidum vel siccum: item in secundis qualitatibus, an adstringendi vel laxandi, attenuandi vel incrassandi facultatem obtineat, verum etiam scire expedit, ad quem usque gradū talis facultas peuenierit. Pari prorsus studio sensuum & experientiæ be-

beneficio ipsorum morborum qualitates, qualitatumque gradus inuestigantur, ut apta sit medicamentorum ad morbos proportio. Quicumque igitur has aliasque circumstantias diligenter expendit, omnium medicamentorum certam dosin inuenire & exhibere poterit. Exēpli gratia: Cum Theriaca nō solum insigniter calefaciat & exsiccet, sed etiam sua proprietate venenis aduersetur & vehementer operetur, nō merito vna drachma plus minusue pro ratione reliquarum circumstantiarū exhibetur. Hæc est certa & indubitata Theriacæ quantitas sensuum beneficio inuēta, & multorum seculorum experiētia confirmata, contra quam Gramanus ne hiscere audebit. Nunc dispiciēdum, an spagirici Alexiterii Magister certiorē dosin obseruet. Sumitur, inquit, Alexiterium Spagiricum pondere quinque granorum singulis diebus, vel pondere granorum xv. bis in septimana. Primus igitur modus vtendi Alexiterio Gramaniano alterum excedit v. granis, sed paulo post aliā dosin,

fin,eamque (si Diis placet) accuratissimam subiicit,tantum, inquit, accipitur, quantum mucrone cultri comprehendi potest. O præclaram dosis certitudinem sibilo & cachinno dignam. Quis præter Gramanum tam rudis, qui medicamenta magni momenti, tam dubio incertoque pondere exhibeat? Est enim cultrorum maxima dissimilitudo : alij siquidem latum, alij acutum habent mucronem, ut priori modo integra vncia, posteriori vero vix drachma capi possit. Videt igitur Gramanus, Galenicos, quos diffamare desiderat, longe maiori cura & consideratione etiã circa medicamentorum dosin & quantitatem versari.

F I N I S.

